

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4783

**Auteur(s) :** Rouen (official)

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1235, 29 juillet

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Ysabelle, femme de Guillaume de Tourville, reconnaît la donation qu'elle a faite aux religieux de Bonport de plusieurs rentes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CIV, p. 103-104.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, officialis auctoritate decani et capituli Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod Ysabellis, uxor domini Willelmi de Torvilla, militis, in presentia nostra, recognovit se dedisse et concessisse, in puram et perpetuam elemosinam, Deo et ecclesie Beate Marie de Bono Portu et monachis ibidem Deo servientibus, pro salute anime sue et antecessorum suorum, decem solidos redditus usualis monete, in quibus dicebat Johannem Foache de Coudreio sibi teneri annuatim, videlicet in quinque solidis ad festum Sancti Michaelis, et in quinque solidis ad mediam Quadragesimam. Recognovit etiam se dedisse eisdem monachis, et in puram et perpetuam elemosinam concessisse, quinque solidos et quatuor capones et quatuor denarios et quadraginta ova annui redditus, in quibus dicebat Willelmum le Meteeier de Coudreio [sibi teneri annuatim], videlicet in predictis quinque solidis, ad festum Sancti Michaelis, et in quatuor caponibus et quatuor denariis ad Natale Domini, et in quadraginta ovis ad Pascha. Recognovit etiam se dedisse et concessisse eisdem monachis in puram et perpetuam elemosinam septem solidos redditus, in quibus dicebat Boutevilain de Duno sibi teneri annuatim ad festum Sancti Michaelis: quos omnes redditus predicti homines eidem annuatim, de maritaggio suo, reddere tenebantur, ut dicebat. Dedit etiam et concessit eisdem monachis quicquid juris habebat et habere poterat in hominibus supradictis, ita quod liceat eis in predictis hominibus et eorum heredibus justiciam suam exercere, si opus fuerit, pro predictis redditibus annuatim habendis, terminis supradictis. In cujus rei testimonium, sigillum curie Rothomagensis, ad petitionem dicte Ysabellis, presenti scripto duximus apponendum. Actum anno Domini M° CC° XXX° quinto, mense julio, die dominica post festum Sanctorum Jacobi et Christophori. Valete.